

JOSEPHI LOMBERG

IMPERIALIS PERANTIQUE ET MAJORIS ARCHIDIACONALIS ECCLESIE
BONNENSIS CANONICI CAPITULARIS,

Juris Gentium & publici Rno-germanici, nec non Historiarum Professoris

Q U I N T A

EXERCITATIO PUBLICA

DE

D O M I N I

E M I N E N T I

ceù

JURE IMPERANTIS

circà

BONA ET MUNERA CIVITATIS

IN GENERE ET IN SPECIE,

Q U A M

vnà cum Corollariis selectioribus

IN

Aula majori Academica Electoralis Gymnasii Bonnensis

SUB

PRÆSIDIO AUTHORIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI EXPONET

Prænobilis ac Eruditus Dominus

PET. JOS. SCHMITZ, Bonnensis,

Jurium Auditor.

Anno MDCCLXXVI. Die XIV. Martii.


Horis consuetis.

BONNÆ, in Typographia Aulica.

Quapoy Diss. jur. 26

Diss. jur. 26
23e

SI TRIBUTUM PETIT IMPERATOR, NON NEGAMUS: AGRI ECCLESIAE
SOLVUNT TRIBUTUM. SI AGROS DESIDERAT IMPERATOR, POTESTATEM
VINDICANDORUM HABET: AGROS IMPERATORI NON DONO, SED NON
NEGO. S. AMBROS. APUD GRATIAN. CAUS. XI. QUEST. I. CAN. 27.



IN FERENDA LEGE ONEROSA, IPSE PRÆSESRTIM INSPICIATUR FINIS, ATQUE
TANTUM IMPONATUR PENSIONIS, QUANTUM CONGRUIT FINI PROPOSITO.
TUM VERO IN DISTRIBUTUENDIS EJUSMODI ONERIBUS, PROPORTIONIS CON-
SERVETUR ÆQUALITAS. JOSEPHUS A COSTA, DE PROMULGAT. EVANG. AP. IND. L. 3. C. 10.




ÆQUISSIMUM SEMPER EST, COMMUNE DETRIMENTUM FIERI EORUM, QUI PROPTER
AMISSAS RES ALIORUM CONSEQUUTI SUNT, UT SUAS SALVAS HABERENT.
L. 1. L. 2. D. DE LEG. RHOD. DE JACTU.



EVERSA DOMO INTENTATUS MANERE POTEST REIPUBLICÆ STATUS: VRBIS
VERO RUINA PENATES OMNIUM SECUM TRAHAT NECESSE EST. VALENT.
MAX. L. 5. C. 6.



1371 402 01



PROSPECTUS

Tituli X. de Dominio eminenti

ccū

Jure Imperantis

circā Bona & Munera Civitatis

in genere & in specie.

I.

Quum sine sumptibus *Respublica* administrari non possit, (1) ad sumptus verò requirantur *Bona*, (2) atque hæc in Computatione Virium Civitatis insignem partem faciant, hinc in *Imperio Civili* etiā continetur Jus, per *Bona Civitatis* (3) salutem promovendi publicam, & speciatim sumptus necessarios ex iisdem colligendi (4) neque enim *Gentium* felicitas, absque *Militiā & togatā & armatā* (5) nec illa sine *Stipendiis* (6) neque *Stipendia* absque *Tributis*, neque *Tributa* sine *Bonis* (7) haberi queunt, undè Jus disponendi de *Bonis Reipublicæ* ipsum est *Dominium eminentis* (8) quod tanquā *Jus Majestaticum* ex fine Civitatis & inde pendente Civium Felicitate venit dimetiendum. (9)

(1) Imperans enim tam Pacis quā Belli tempore nihil sine Pecuniā rectè valet agere, & Bonis publicis non sufficientibus Rerum gerendarum Nervus non aliundè quā à Civibus peti potest; undè nec Quies nec Gentium Securitas sine Armis, neque Arma sine Stipendiis, neque Stipendia sine Tributis, nec Tributa sine Bonis haberi queunt; itā Tacitus. L. 4. c. 74.

(2) Quæcunque sunt in Dominio, citra Discrimen Bona dicuntur.

(3) Hæc vel sunt publica, ubi spectant ad Univerfos, vel privata, ubi ad singulos privatim pertinent-- Sic Bona publica quorum proprietas est omnium, Vfus verò singulorum, sunt publica in specie; itā Fluvii, Pontes, Viæ, Ripæ &c. sunt Bona publica in specie, quorum nempe proprietas est omnium, Vfus vero singulorum-- Ast Bona publica quorum Vfus non singulis sed univèrsis competit, Patrimonium Civitatis nuncupantur; sic Bona Cameralia ceū Bona Coronæ sunt Bona publica quidem, sed in Civitatis Patrimonio, quorum nempe Vfus non ad singulos, sed univèrsos spectat, -- Econtra Bona singulorum, immò & minorum Societatum, atque ipsius Imperantis tanquā non Jure Imperii obtenta, Bonis privatis accensentur.-- Hic notandum est, quod omnia Civitatis Bona sive publica sive privata originariè pertineant ad univèrsos, univèrsos verò repræsentet ipse Imperans civilis, undè Dominus territorialis rectè appellatur. -- Sic Bona jacentia, ceū a despota tanquā ad univèrsum populum spectantia, à singulis autem non occupata, uti: loca deserta, Insulæ, Sylvæ, Montes, Metalla, Antra, Fluvii, Fontes, Viæ publicæ &c. referuntur inter Regalia,

galia, undè Jus Venationis, Piscationis, Aucupii, Jus Forestale (das Forst-Recht) Jus subterraneum (das Minir- und Mineral-Recht) Jus Postarum &c. vid. Sixtin. & Carp-zov. de Regalibus.

- (4) Valet hinc nempe Argumentum à Fine ad ipsum Jus Remedii, quatenus Finis cum Jure Remedii necessarid est connexus,
- (5) Imperantis enim est, ex ipsis Reipublicæ Bonis tanquàm rerum nervo, omnia illa trahere Media, quæ pro obtinendo Civitatis Fine videntur necessaria -- Undè eundem oportet constituere Magistratus, alere Consiliarios, sustentare Doctores publicos, ac promptum atquè sufficientem tenere Militem &c.
- (6) Quæ cuique pro Bono publico adlaboranti etiàm ex Justitià distributivà juxta proportionem geometricam sunt tribuenda,
- (7) A quibus aliisve Civilibus ac proportionatis oneribus, nèc ulla Sodalitiorum Bona naturaliter sunt immunia, quatenus æquali Civitatis Jure fruuntur, atquè imperans iisdem non minùs ac reliquis Civibus securitatem impertitur.
- (8) Hoc differt ab Imperio eminenti in eo, quod Dominium eminentis consistat in Jure de substantià Bonorum Civitatis privatorum in casu necessitatis disponendi, vi Imperii eminentis verò disponatur de Personis in Civitate existentibus casu necessitatis emergente, vide sis ab Ikstadt Diff. de Imperio eminenti, Ingolst. 1765. -- Jus eminentis in genere vocatur Jus illud imperantis, quod non tantum super Dominia sed & super omnia Privatorum Jura eminent. Vide sis Vitriar. L. 3. T. 17. sqq.
- (9) Hinc si Bona publica, ceù Ærarium ex iis emergens sufficiat, tunc nulla est justa ratio, ob quam privati ad partem suarum facultatum suppeditandam adstringi possint -- Undè etiàm necessitate Præstationum causâ definente Præstationes quoque Privatorum definere oportet -- In solo igitur extraordinario necessitatis vel majoris cujusdam publicæ Utilitatis Statu reperitur sufficiens Ratio, ex quâ Jus eminentis intelligi possit, quæ ratio justifica, ceù Juris hujus Principium aliàs etiàm Ratio Status vocatur -- Secùs imperanti non licet Privatis Jus Quæsitum auferre ac vel publicæ amoenitatis aut privatæ Utilitatis suæ causâ Res subjectorum invadere, aut cum unius detrimento alteri quid largiri -- Exemplum desuper habe in S. Script. I. Reg. c. 21. -- Vid -- Grot. L. 1. c. 1. §. 6. & L. 2. c. 6. & 10. -- Sub hoc Jure eminenti continetur quoquè Jus, extra Necessitatis Casum suscipiendi custodiam Bonorum privatorum, ut urgente Necessitate in promptu sint, & Reipublicæ sufficiant -- Unde fluit Jus ferendi Leges de Bonis rectè utendis, alienandis &c. de Rebus Territorio evehendis, exportandis -- quo etiàm Fundamento nititur Jus majesticum: Tutores atque Curatores constituendi Pupillis, Minoribus, Mente captis, Prodigis, Absentibus &c. Bonorum eorum Administratoribus certas Leges præscribendi, eosdem ad Rationes reddendas adigendi &c. -- Reipublicæ enim interest, Res eorum salvas esse, qui ipsi Res suas curare non valent -- Undè Plato de legg. L. 11. scribit: "Pupillos non ad privatorum sed publicam Civitatis Curam pertinere, eosque vocat: Deposita Reipublicæ sacratissimum" -- Vide sis HEINECCI Diff. de supremâ Principum ac Magistratum Tutelâ -- Cùm insuper Reipublicæ plurimùm intersit, ne Cives Bonis ac Rebus suis malè utantur, hinc ab Imperantibus Jure etiàm feruntur Leges, quæ Actionibus circa Res ac Privatorum Bona versantibus veluti: Contractibus, Usucapionibus, Testamentis, Hæreditatibus &c. suam Formam communi Civitatis Fini attempèratam impertiuntur -- Hoc igitur Dominium eminentis tripliciter est considerandum: imò: tanquàm Jus supremæ Inspectionis, vi cujus quilibet Subditus tenetur specificare sua bona & Proventus Principi id jubenti -- 2dò: Tanquàm Jus in partem Confestariorum, id quod Imperanti competit etiàm in Statu Reipublicæ ordinario -- 3tò: tanquàm Jus eminentis in ipsam Rerum substantiam, id quod Principi non competit, nisi in Statu Reipublicæ extraordinario, ceù in Casu Necessitatis ac vel manifestæ utilitatis publicæ. De quo supra.

Quemadmodum *Reipublicæ* dupliciter interest, quàm maximam Pecuniæ Vim in promptu esse: Imùm, ut non desit, unde *Imperans* pro Dignitate sustentetur: deinde, ut & Belli & Pacis Temporibus suppetat *Rerum gerendarum Nervus*, quo adeò opus est, ut sine eo fieri nihil possit, ità in *Civitatibus* duplex requiritur *Arca publica*, in quam opes publicæ insuant, quarum altera Pecuniam *Imperantium* sustentationi destinatam continens, *Fiscus* (1) altera Pecuniam Civitatis Administrationi ejusque defensionis ac salutis publicæ destinatam continens, *Ærarium* (2) adpellatur; quam Vtramque esse locupletissimam *Reipublicæ* omninò interest. (3)

- (1) Gentibus plerisque æquum visum est, imperantibus suis non tantùm certa Prædia, certoque terrarum tractus assignari, ex quorum Reditibus Dignitatem suam tuerentur, quæ Bona hodiè audiunt *Domania* vel *Domania*, verùm etiam iisdem relinqui *Bona Jacentia* ceù *Adespota*, de quibus supra &c. quæ postrema *Fiscum* locupletandi Ratio eò magis placuit, quo minùs cum singulorum Dispendio erat conjuncta. Vid. Grot. de Jure belli & pac. L. 2. C. 8. -- Indè est, cur *Fiscus* ferè ubiquè sua esse contendat ea, quæ *Jure Romano* communia ceù publica habentur, quapropter veteres Germani de *Fisco* solebant dicere, quod sit *Vir parùm placidus*, omnibus invisus, nihil æquitatis in se habens -- Bona *Fisco* assignata dicuntur *Domania* (*Domain-Güter*) quæ tanquam *Populi Patrimonium* sunt inalienabilia, in quibus *Imperans* præter *Vsumfructum* nullam habet *Proprietatem* -- Non enim ad *Vnius Imperantis* jam viventis sed ad reliquorum etiam *Ejus Successorum* Dignitatem perpetuè tuendam sunt comparata -- Alienatio igitur citra *Populi Consensum* ac vel subsecutam ejus *Rathabitionem* facta ipso jure est nulla. -- Vndè *Successor* vel ex parte, vel ex toto injustè alienata sine ulla *Refusione Pretii* potest vindicare & *Civitati* restituere, salvis tamen ejusque *Civitatis Legibus publicis ac fundamentalibus* -- Vid. Grot. L. 2. C. 6. §. 11. 12. & 13. ubi notat, *Populi Patrimonium* *Jure pignoris obligatum* esse *Regi* pro *Debitis Populi*, intelligendo: pro *Debitis*, quæ intuitu *Populi* fecit *Rex*; si namque *Tutor* aut *Negotiorum gestor* *Jure* petat *Indemnitatem* ac *Restitutionem* illius, quod impensum est utiliter in *Rem communem*, multò magis id poterit *Rex*, qui *Debita* in *Finem* non alium fecit, quàm ut *Pax* & *Populi Quies* conservaretur. -- Hic verò ipsum *Populi Patrimonium* ceù *Res Patrimonii* benè distinguendæ sunt à *Rebus*, quæ in *Fructu* sunt *Patrimonii* -- Sic *Jus confiscandi* est in *Patrimonio*, *Fundus* autem *confiscatus* in *Fructu* &c.
- (2) Huc pertinent *Tributa*, *Steuræ*, *Veſtigalia*, *Accisæ* &c. de quibus infra &c. unde per *To: Ærarium*, intelligimus qualescunque *Pecunias* in *Vsum publicum* à singulis collatas -- *Jus Ærarii administrandi* ceù pro arbitrio ad commune *Civitatis Bonum* dispensandi tanquam *Majestaticum* soli competit *Imperanti*, quo *Jure* cum utatur, jam non suo privato, sed communi *Civitatis Commodo* invigilat. -- Conf. *Posit. i. num. 9. h. t.* -- notat clar. de *Martini* in *L. de Jure Civitatum*, C. 7. §. 173. "sæpiùs (& vel maxime in *Monarchiis*) arduum esse, vtramque hanc *Arcam publicam*, ceù diversa hæc *Civitatis Bona* ab invicem separare."
- (3) Nisi forsitan aliundè tantum sit *Bonorum Civitatis publicorum*, ut eorum *fructibus*, aut *Proventibus* commodè administrari possit *Respublica* -- Tanta enim *Pecuniarum summa* semper in promptu sit necessum est, quantam ipsa *Reipublicæ Administratio* exigit atque *Defensio* -- Vndè mirum non est, tot alia *Jura* ad *Quæstum* ac vel *Rerum Conservationem* pertinentia *Fisco* concedi, veluti *Jus cudendæ Monetæ*, *Jus multarum*, *Jus Bona scelere quæſita occupandi* &c. -- Sic *Publicatio* ceù *Confiscatio Bonorum* est actus, quo in *Pœnam* omnia *Bona*, quæ quis habet, eidem adimuntur, & *Fisco* attribuuntur -- *JUSTINIANUS* autem *clementissimus Imp.* magis *Privatorum* quam *Fisci sui commoda* respiciens, *novissimâ Lege* in

Auth. ut nul. Jud. §. fin. C. de bon. dam. constituit, ut Damnatorum Bona non amplius secundum veteres Leges Fisco applicentur, sed ea vel Descendentes, vel Ascendentes, aut ex Littere conjuncti, usque ad tertium Gradum, Vxores verò Dotes suas accipiant: quod si indotatae sint, habeant de substantia Viri Partem à Legibus definitam, sive Filios habeant sive non, exceptis condemnatis Crimine læsæ Majestatis tam divinæ quàm humanæ, adversus quos Jura vetera servari voluit. -- Quibus in Casibus hæc Authentica fallat?... quænam sit Publicationis Forma?... quænam Res consiliari possint?... & hodiè adhuc confiscari soleant?... quales sint Confiscationis Effectus?... quæ sint Jura Fisci circa Thesauros diversimodè inventos?... quinam habeant Jura Fiscalia, & quomodò hæc debeant exerceri? Vide sis apud M. A. Peregrinum de Jure & Privilegiis Fisci. Col. 1663. -- *Ærarium* pro Casu futuro reservatum, quodque audit *Theaurus publicus*, uti constat de *Theauro incomparabili Sixti V. Pontificis, Friderici I. Regis Prusis.* Francisci I. p. m. Imp. &c. -- Qualis *Theaurus* ut plurimum in *Monarchiâ* tum ex privatis diversimodè non Jure Imperii acquisitis, tum ex Fiscalibus ac Domaniis, tum ex Vestigialibus atque Tributis ita conflatur, ut Vnum quod Fisci cèu Principis est, ab altero, quod ad *Ærarium* cèu ipsam *Republicam* spectat, separari non possit, vnde non rarè *Republicam* inter & *Principis Defuncti cognatos* cèu *Hæredes* maximæ oriuntur *Controversiæ*.

III.

Director Civitatis non nisi cum *Statuum provincialium* Consilio (1) rectè imponit Civibus *Vestigalia* (2) atque *Tributa* (3) ut ita major habeatur Ratio *Facultatum* (4) ac vel *Civium Onera* ità moderentur, ne se tanquàm *Servos omnia Imperanti* non sibi acquirere Jure conquerantur (5) ipsis verò *Oneribus publicis* Omnes & Singuli sine Exceptione *Cives* pro modo suarum *Facultatum* adeò sunt obnoxii, ut planè *Nullus* sive *naturaliter*, sive *Jure divino* ab iisdem absolutè exemptus intelligatur (6).

(1) Ipsas enim singulorum Civium *Facultates*, ac vel dispersos quaquaversùm totius *Reipublicæ* vires atque *Defectus* nôsse, & inter utrumque exactius dimetiri Vnius *Homini* haud patitur imbecillitas, vnde *Principes* ipsum *Dominii eminentis Exercitium* suis plerumque *Statibus provincialibus*, cèu eorum *Conciliis* communicare jam olim adfuerunt, utpotè non aliter justæ *Executioni* demandandum.

(2) *Vestigal* est certus *Ærarii publici* *Reditus* ob securum *Terræ Fluminum* aut *Maris* concessum *Vsum*, pro evehendis, invehendis, aut distrahendis *Mercibus*. -- Hoc vel est *terrestre* vel *aquaticum* -- illud vel dicitur in specie: *Pedagium*, quod pro *Vsu, Viæ, Pontis* &c. à *Personâ* sive *pedite*, sive *equite* solvitur -- vel *portorium* cèu *vectorium*, quod pro *Mercibus* *Currui* impositis, vel etiam pro *nudis* *Curribus, Rhedis* atque *Jumentis* exigitur, vulgò *Landzoll*, aut *Pontivegium* *Brückengeld*, *Quidagium* *Geleitgeld* -- Vice versâ *aquaticum* vel dicitur in specie *Marinum*, ob *Maris Vsum* in *Portibus* solvendum -- Vel *fluviaticum*, ob *Fluminis Transitum* à *Nautis* pendendum, id quod in specie audit *Telonium* vulgò *Mauth*, *Wasserzoll*, etiam *Lizent*, quod posterius, quomodò differat à priori; & quid inter utrumque *diversi Juris* obtineat speciatim in *Imperio* ad *Rhenum* & *alios Fluvios*, vide sis in impresso: *kurze Erörterung der Geschichts- und Rechts-Punkten, worauf es wegen des zu Kaiserswerth erhobenen Licentes in der zwischen Kurpfalz und Kurköln* &c. 1771. Fol. -- Vid. *Schwederi* *introd. jur. pub. part. spec. Sect. 1. C. 20. §. 1.* -- id genus *Vestigalium* præsertim ab *Exteris* transeuntibus *Jure* exigitur pro eo, quod ipsa *Viarum* *publicarum Tutela* atque *Resectio* incumbat *Reipublicæ* -- Ad *Quæstiones*; quænam statuatur *Pœnæ* in *Vestigalia* fraudantes? num qui ex *Errore* *Vestigal* non solvit, adhuc teneatur *Pœnâ* *Commisâ*, cèu *Confiscationis*? num *Dominus*

Mer-

Mercium Pœnam commissi sustineat, quo ignorante Naua vel Auriga Vestigal non soluit? ad has aliasque hic tractari solitas Quæstiones respondebimus coram, referendo nos ad Jus privatum Tit. de Vestig. -- Huc faciunt L. 8. 10. 11. 14. & 16. ff. de Publicanis & Vestig.

- (3) Hæc differunt à Vestigalibus in hoc: quod si Ratio Præstationis sumatur ex eo, quia Utens privatis Rebus suis simul etiam utitur Rebus publicis, Jus id Vestigal dicatur; si verò Præstationis Ratio sita fuerit in eo, quod Privatus Re sua securè uti, fruique possit, Jus illud Tributum vocatur, vulgò Landsteuer, quod scilicet ipsi Cives ceu prædiorum aut Rerum Immobilium Possessores pro Modo atque Emolumento suo præstant (quod referuntur Collectæ provinciales) vel id Accisa appellatur, quod nempe pro rebus mobilibus aut fungibilibus persolvitur. -- Vide sis Casp. Klock de Contributionibus. Francof. 1655. -- Theodor Emminghaus, de Accisis. Jen. 1750. -- Hæc Tributa necessariis Oneribus ab Ulpiano Lib. 32 ad Sabin. adnumerantur, teste L. 21. ff. de Donat. inter Vir. & Vx. -- Quare Principi tanquam Reipublicæ Marito, ea Dotis nomine deberi refert Pet. Greg. Tholosanus Lib. 3. Syntagm. Jur. univ. C. 3. §. 1. Quatenus ob sustinenda Imperii Onera non minus Justitiæ & Æquitatis Regulæ velint: Principi in Vestigalibus atque Tributis publicam constitui Dotem, æquè ac Jura Maritis Onerum Matrimonialium intuitu, Vxorum Dotem vindicent. -- Ad Quæstionem: quænam Vestigalia sint æquissima? respondemus verbis Bodini de Republicâ L. 4. c. 2. §. 661. "Hoc genus Vestigalium immortalis Deo gratissimum, Civitatibus pulcherrimum, Principibus honestissimum, Plebi utilissimum videtur, quod iis imponitur Rebus, quæ ad corrupendos Civium Mores, ad Delicias, ad Luxum, quæ ad Libidinem spectant; aurea inquam & argentea Suppellex, Odores, Pigmenta; innumerabilia Vestium Ornamenta &c." -- Quod præprimis quasi Reipublicæ pestis referri meretur der Koffe, Schnupstabsack &c. -- Vndè apparet: Rebus ad vitam tolerandam necessariis, veluti Frumentis, Carnibus, Lignis &c. eo levius imponendum esse Onus, quo foret iniquius, talia Impositis gravando, impedire Cives. quo minus se Mediis ad ipsum Civitatis Finem obtinendum necessariis possent instruere. -- Justum verò est, Onere graviore adficere ea, quæ Reipublicæ inutilia, immò scèpius perniciosa sunt, quorum scilicet comparatio in nimiam ordinariè Fortunarum prodigalitem degenerat, & pecuniæ ad ea comparanda destinatæ haud sine magno Reipublicæ detrimento è Regione exportantur ad Exteros, uti E. C. ex Germania præsertim infer. ad ingratos Hollandos, quorum inde, vah dedecus! miseri existimus Tributarii. --
- (4) Multarum namquè Possessores rerum plus conferre oportet, quàm eos, quorum sat angustum est patrimonium, quod & illi his majus emolumentum ex sine Civitatis sentiant, præterquam quod suadeat ipsa naturalis Æquitas, Onera publica ab omnibus æqualiter esse portanda, vndè profectò Principi incumbit efficere, ut iis, qui præcipuo onere fuerunt gravati, à reliquis Civibus proportionata præstetur Relatio. -- Oportet enim; ut omnium Contributione sarciantur, quod pro omnibus datum est. L. 1. ff. ad L. Rhod. de jactu -- quod tamen Argumentum nec de Damno ab Hostibus vni vel alteri illato, nec de aliis tenet Casibus merè fortuitis, qui inter Cives mutuâ vice sunt tolerandi.
- (5) Malè docuit Hobbes. de Civitat. L. 6. c. 15. §. 13. "Jus Vestigalis & Tributi Jus esse Domini" Imperanti enim non est Jus in ipsam Rerum substantiam, sed tantum in partem Consumptiorum; quod si Tributum, aut Vestigal omnem absorberet utilitatem, nullus profectò Res suas duceret per vias, & Fluvios publ. vndè brevi Mercatura periret, jaceret Agricultura, ipsaque Civitas dissolveretur. -- Ipsum verò Domini eminentis Fundamentum in manifestâ Reipublicæ Necessitate ac vel majori quâdam Utilitate collocatur. -- Præterea Actus, quo Imperans subditis Jus quæsitum aufert sine justâ causâ, quàm longissimè abest à paternâ in Cives tanquam Filios voluntate, ipsisque regnandi Legibus manifestè repugnat, quæ docent: bonum Principem nunquam ex privatis suis Theauris, sed ex ipsis subditorum divitiis esse æstimandam. -- Vid. Chr. Lud. Stigliz. Disp. de jure Imperantium in Jus quæsitum subditorum. Lips. 1748.
- (6) Quatenus oportet, ut ejusdem Societatis Socii æqualibus Juribus censeantur. -- De Rebus & Bonis ecclesiasticis, utrùm iis Tributa & Vestigalia imponi possint: oritur Dubitatio? quanquam & in his idem Jus summæ potestati Civili competere certum sit. -- Quemadmodum enim Clerici, quatenus Cives sunt, Imperio Civili subjacent, & æquali Civitatis Jure fruuntur, ita quoque Bona temporalia ab iis possessa communi Oneri sunt obnoxia. --

Nec

Nec obstat, Res sacras sive religiosas nullius in Bonis esse, utpotè divini Juris, cum sensus sit: easdem esse nullius habito Respectu ad privatos, non verò ad Rempubicam, quippè quæ pro Necessitudine salutis publicæ in casu scilicet extraordinario de eis disponit. Vid. L. 8. Inst. de Rerum divis. -- Conf. Grot. L. 3. c. 5. §. 2. -- Vide IV. Exercit. nostram de Jure Sacrorum. Posit. VI. num. 2. -- lectu dignissima huc pertinent verba S. Ambrosii in Comment. ad c. 5. Luc. L. 4. c. penult. " Si Censum Filius Dei solvit, quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum? & ille Censum solvit, qui nihil possidebat, tu autem, qui seculi Lucrum sequeris, cur seculi obsequium non recognoscas? cur te supra seculum quâdam animi adrogantia effers, quum seculo sis miserâ cupiditate subjectus? si tu vis Cæsari non esse obnoxius, noli habere, quæ Mundi sunt, sed si habes Divitias, obnoxius es Cæsari, si vis Regi nil debere terreno, relinque omnia, & sequere CHRISTUM." -- Cui verba hæc Lucem non adfundunt, eum prorsus indocilem credo. -- Vide sis Ferd. Christ. Harprecht, de Immunitate à collectis -- Conf. Jo. Wurmser, Resolutio Quæstionis, an Principes, Comites &c. à Vectigalibus immunitatem habeant? in Lunigii Thef. Jur. Comitum & Domin. S. R. I. p. 763. sq.

IV.

Eloquòd Imperii Rno-germanici *Domania* olim amplissima, ceù Terræ Fiscales (1) Provinciarum Tributa, Urbium Census, Mulctæ, Vectigalia (2) aliaque plurima tum *Fisci*, tum *Ærarii* Bona, sive per Concessionem in *Feuda* (3), sive per *Fundationes* piasve *Donationes* (4) sive per *Oppignorationes* (5) aut per longam denique, & sæpius agnitam confirmatamque *Possessionem* jam dudum in Manus Potestatemque *Statuum* pervenerint (6) hinc præter exigua *Fisci Imperialis* Emolumenta (7) hunc Bonorum Redituumque publicorum Defectum vel vnicè suppleant *Servitia feudalia*, Statuumque *Collectæ* (8) non nisi eorum *Consensu* (9) in Statu *Reipublicæ* extraordinario juxta *Matriculam* (10) exigendæ.

- (1) Quæ consistebant in Fundis, Oppidis, Villis, Mineris, Vineis, Sylvis &c. quæ omnia per Præfectos, Advocatos, aliosque Procuratores solebant administrari.
- (2) Quod pertinerint quondam Vectigalia privatè ad Regum atque Imperatorum Regalia præter L. 10. ff. de publican. testantur ipsa Regum Capitularia & quidem PIPINI, CAROLI M., LUDOVICI PII, LOTHARII I. &c. apud Goldast. Tom. 3. Constit. imperial. p. 119. sqq. -- Ab antiquissimis tamen temporibus cum ipsis Imperii Statibus communicata leguntur, & primitus quidem cum Ecclesiis, cujus Rei Documenta jam à seculo VII. juxta Ordinem suppeditat Pffingger ad vitr. L. 3. Tit. 4. p. 486. Vndè Chronicon Colmariense ap. Vrstifium script. rer. germ. Tom. 2. p. 61. refert: " Cùm Regi (ALBERTO AUSTR.) visum fuisset, quod Rhenum potenter teneret ac se confirmatum crederet, mandavit Archiepiscopis Moguntino & Coloniensi, atque cæteris accipientibus Telonium supra Rhenum // Episcopi responderunt, Telonia nostra longo tempore debitè accepimus, & Antecessores nostri longo tempore receperunt, & eos Reges Romanorum minimè turbârunt, vndè & nos hæc Telonia volumus voluntariè resignare." // Vid. Chron. Spir. L. 7. c. 3. // Indè patet, in A. B. Tit. 9. §. 3. Electoribus Vectigalia non tam de novo concessa, quàm longissimi tempore jam possessa, fuisse confirmata // quid hodiè in Imperio circa Telonia aut Vectigalia Juris obtineat, vide sis in I. P. O. Art. 9. §. 1. sq. & in Capit. Art. 8. §. 2. sqq. per totum. // Conf. Georg. Christoph. à Goelniz. Diss. de Regali Vectigalium Jure. Tub. 1652. // Frid. Gabr. de Hopffgarten, de jure Vectig. in S. R. I. Lips. 1722. // Joan. Frid. Bœckelmann, de Vectigali à Vectore defraudato, von Verführung des Zolls. Heidelb. 1660. // Schorch, de jure Vectigalium, Progr. Erf. 1748. // Huc æquè facit: Jac. Chr. Klipstein, de Dominio Rheni. Gieß. 1740. //

Jo. Horix. Diff. de Libertate Navigationis in Imperio R. G. Mogunt. 1764. // Jac. Hen. Born. Diff. de jure Nundinarum & Stapulæ Lipsiensis. Lipf. 1739. // de immunitate à Vestig. vid. Capit. art. 8. §. 31. -- & art. 25. §. 6. -- item art. 8. §. 26. 34. -- Conf. Jo. Mich. Dahm. de eo, quod justum est circa Exemptionem Rerum Principum à Vestig. Mog. 1748. // Herm. Engelbrecht de Fundamento Exemptionis Rerum Principum à Vestig. 1736. // Jo. Ferd. Salzmann de Immunitate Nobilium immed. à Vestig. Aug. 1748. // Orth von fränkfurter Messen. p. 148. sq. // Ipsa autem singula Circulorum Directoria inquirere habent tam in Vestigalia nova, quam contra morem aucta, de quibus ad Imperium tenentur referre, juxta R. I. Ratisb. de a. 1576. §. 120.

- (3) Undè omnes Imperii Status vel integra sua Territoria vel certè Regalia illis cohærentia Lege feudali ab Imperatore recipiunt, ubi Occasione Investituræ feudalis Sacramentum Fidelitatis præstare solent, tali Homagio feudali Subjectionem non inferente, quam Status, exceptis Civitatibus, abhorrent. // Horum itaque Territoriorum omnium habitus erga Rempublicam Germ. est planè idem, quatenus eorum Possessores vel Domini, eodem feudali Nexu continentur, Cæsaris nempe & Imperii infimul Superioritatem agnoscentes, eandemque Legum fundamentalium Auctoritatem observantes. // Vid. Boehmer, principia juris feud. §. 413. // Quid juris sit circa Imperii Feuda vide sis in I. P. O. art. 10. §. 1. sq. & art. 11. & 17. // Conf. C. O. C. part. 2. Tit. 7. & Moser Reichs-Hofraths-Process. Tom. 3. p. 514. sq. & Tom. 4. p. 5. & 89. // Pet. Müller de jure investiendi Status Imperii. Jen. 1685. // Itter & Jac. Gabr. Wolff de Feudis Imp. // Ludovici Einleitung zum Lehns-Process.
- (4) Desuper fufius in juridica nost. Imperii Rno-germanici Historia.
- (5) Vid. Nic. Chr. Lynker, de potestate Imperatoris alienandi Bona Imperii. Jen. 1695. -- Jo. Strauch, de Oppignorationibus imperialibus, Jen. 1671. -- Chr. Lud. Koch de jure oppignorationum imperialium, speciatim in civitatibus imperii occurrentium, Gieß. 1744. -- Conf. Capit. art. 1. §. 1. - 3. -- & art. 16. §. 4. -- I. P. O. art. 5. §. 26.
- (6) Per varias hæc vicissitudines contigit, ut tum Proceres ecclesiastici largioribus sensim terris, juribusque regalibus instructi, tum sæculares Principes, Comites atque Dynastæ, terris suis jure hæreditario potiti, tanquam Domini territoriales (Landes-Herren) ad Imperium civile, proprio nomine exercendum adspirarent; id quod ab Imp. tacitè vel expressè diù concessum, tandem sub nomine Superioritatis territorialis [Landes-Hoheit] ad perfectionem pervenit; undè hæc Statutum Superioritas, ex quo & Capitulationibus cæsareis, & ipsa Pace Westph. fuit firmata, jam omnia Imperii civilis Jura comprehendit, nisi quæ Imperatori reservata supersint, quæ tamen non amplius vi Superioritatis territorialis, sed solà adhuc Auctoritate cæsareâ valet exercere. -- Pütter, Inst. Jur. pub. L. I. c. 3. §. 28. -- Capit. art. 4. §. 9. -- I. P. O. art. 5. §. 26. --
- (7) Vid. Jos. Bonn. de jure Fisci cæsarei. Gieß. 1735. -- Conf. tertiam Exercit. nost. de supremâ Imperii Jurisd. Posit. 9. n. 1. -- Quanta verò Fisci cæsarei Emolumenta sint, vel indè apparet, quod Statibus indistinctè, aliisque Superioritate territoriali gaudentibus hodiè sua etiam competant Jura Fisci, de quibus in progressu.
- (8) Vel sunt ordinariæ [die Kammerzieler] quæ singulis annis ad sustentationem Judicii Cameralis debentur. -- Vid. Corp. Jur. pub. p. 1279. & 1342. -- vel sunt extraordinariæ, quæ in Statu Imperii extraordinario, pro quâlibet Necessitudine publicâ decernuntur, -- hæc olim ad Quæstorem [Reichs-Pfennigmeister] hodiè transmittuntur ad ipsum Imperii Ararium [Reichs-Operations-Kasse] vid. Capit. art. 5. §. 3. 4. & 5. -- Conf. Extract Stadt Regenspurgischen Kassenbuchs über Einnahme und Ausgabe der am 19ten May 1757. zur Reichs-Kriegs-Operation verwilligte 30. Römer-Monat. deutsche Kriegs-Kanzley 1757. Tom. 3. p. 15. sq. -- Olim plerumque Censûs Capitationis in personas im- & mediatorum pro suâ cujusque Dignitate, ac Bonorum proportione descriptus imperabatur, quem den gemeinen Pfennig appellabant -- noviore ætate collationes redigi coeperunt ad modum Expeditionis Romanæ, undè placuit Censûs Mensium Romanarum [Römer-Monate] vide sis Vlr. Obrecht, Diff. de Expedit. Rom. in Opusc. Acad. Argent. 1729. §. 19. -- Conf. Moser von Reichstags-Geschäften. p. 1142. --
- (9) I. P. O. art. 8. §. 2. -- Capit. art. 5. §. 1. 2.

(10) Quæ est Designatio Statuum Imperii publicâ Auctoritate facta, definiens, quantum quisque eorum ad vsus communes contribuât. -- Hæc Matricula in Comitiiis Wormat. a. 1521. confecta, post sæpius immutata, saltem adhuc fundamenti loco servit in exigendis collectis, quæ hodiè amicâ Statuum Conventione definiuntur, ita ut summa in Comitiiis Decreta per Circulos distribuatur, ubi assignata cuilibet Portio à Statibus ejusdem Circuli exigitur. -- Vide sis Corp. Jur. pub. p. 88. -- R. I. d. a. 1535. §. 4. & d. a. 1541. §. 41. 44. & 71. -- 1603. §. 57. -- R. I. N. §. 184. -- Capit. art. 5. §. 3. 4. 6. & 10. -- & art. 12. §. 1. 3. -- Conf. Frid. Car. de Moser kleine Schriften, T. 9. p. 129. -- Eri. Mauritiï Diff. de Matricula. -- Huc æquè pertinent: Jo. Dan. Kœler, Diff. de Ortu & progressu subsidii charitativi Ordinis Equestris. Alt. 1728. -- Bœhméri Diff. de subsidiis pecuniariis Statuum Italiæ. -- Jo. Ge. Eitor Meditationes de Judicæ competente in causis quæ de Exemptionibus Imperii peraguntur. Jen. 1741.

V.

Dominio eminenti proximum est *Jus Majestatis immanens* constituendi *Administros, & Magistratus* (1) ubi per *Administros* intelligimus Personas partem *Reipublicæ* sibi creditam Nomine *Imperantis* administrantes (2) per *Magistratus*: qui administrant partem *Civitatis* nomine proprio, & dependenter à summo *Imperante*, (3) quàm ergò *Administri* vice *Principis*, vti *Magistratus* dependenter ab eo *Rempublicam* capeffant, consequens est, ut ii à solo *Imperante* constituantur (4) Eidem speciatim obligentur (5) ac frictas de *Muneribus* suis Rationes reddere teneantur. (6)

(1) Omne enim Imperium civile Viris indiget prudentibus, Rerum peritis, & Vsu doctis, quorum consilio & operâ perpetuò utatur. -- Vndè fluit Jus Imperantis, subjectorum operas pro Exercitio Administrationis Reipublicæ exigendi, --

(2) Huc spectant omnia Civitatis Munia, ceù Officia publica quæis adnexa non est Jurisdictio ordinaria.

(3) Quatenùs ipsi Magistratus Jurisdictionem ordinariam & propriam, ceù principalem, aut Altim simpliciter dependentem atquè magistralem habere censentur. -- Vide sis Jo. VERSTEGEN Diff. de Jurisdictione, quam Personæ illustres per Officiales exercere solent, L i p. f. 1698.

(4) Vndè qui tale Munus publicum propriâ Auctoritate sibi adrogare tentaret, utique Imperium civile læderet, ac per consequens reus foret criminis læsæ Maj. -- Hoc quippe Munera conferendi Jus, imperans tenetur quidem erga Socios exercere, quin tamen Candidatus in ipsâ Munerum Distributione hoc vel illud perfectò Jure valeat exigere, nisi fortè, ubi Imperans vel generatim Expectativam, vel Jus speciale succedendi in certum quoddam ac determinatum Munus contulisset, ubi in priori casu nudam spem, in posteriori verò Jus quæsitum Candidatus nanciscitur. -- de MARTINI, de Jure Civit. c. 7. §. 152. sq.

(5) Quatenùs ab Officio ad Obligationem patet consequutio.

(6) Detestabilis autem TURCARUM mos neutiquàm imitandus est, qui Reipublicæ Administrationem, ac vel Administorum consilia ex Eventu judicantes, capitis dampnant eos, quorum consilia caruère Eventu. -- Sic & olim non nulla Gens barbara præstantissimos Duces atque Ministros consueverat damnare ad Crucem, siquid accidisset præter Animi sententiam.

VI.

Cum plurima in *Civitate* obveniant Rerum gerendarum Capita (1) quorum vni *Administro* quandoque plura (2) vel vnum pluribus pro re nata committitur (3) hinc ne tot *Administorum Operationes* inter se confligantur, expedit supremum quoddam *Statûs Consilium* (4) formari, quod potissimum in majoribus *Civitatibus* veluti *Centrum Vnitatem* constituat. (5)

- (1) Sunt quippè *Negotia* tum externa, scilicet *Belli, Pacis, Foederum &c.* sunt & interna veluti: *Ecclesiastica, Politica, Judicialia &c.*
- (2) Sic supremo *Statûs Administro* plurima *Negotia* præsertim externa incumbunt expedienda-- huc spectant *Legati ac Residentes* in *Aulis peregrinis* -- sic pro internis, diversi pro diversis *Religionibus* constituuntur *Antistites*, ac vel *Officiales ecclesiastici* -- sic *Rebus politicis* pro diversa earum naturâ varii præfunt *administri* -- Huc pertinent: *generalis Politicæ Director: supremus Commerciorum Inspector: Præcûm arbiter: primus Rationarius, ac Fisci Procurator* -- *supremus Rei bellicæ Præfectus: summus Rei navalis Dux &c.*
- (3) Huc omnia spectant *Judicia atque Tribunalia Adfessoribus Vota habentibus instructa* -- uti & *Consilium bellicum ac vel Admiralitatis Collegium &c.*
- (4) Sic in *Imperio* nostro *Comitiæ* modò perpetuæ. (*der ständige Reichs-Tag*) -- Vtrumque supremum *Imperii Tribunal: Consilium imperiale aulicum, & Camera* -- Sic in *foederato Belgio* sedes *der hochwûrdigen General-Staaten im Haag*. -- Sic in *Patria colonienfi* spectabile *Consilium Regiminis aulicum* (*der kûhr: kôllnische Hof- und Regierungs-Rath*) -- Sic alibi uti *VIENNÆ in Austria: Consilium Status Intimum* (*der geheime Staats-Rath.*)
- (5) Quo fit, ut in *Civitate* multiplex illa *Jurium Majestaticorum Exercitatio* citra confusionem ex bono *Ordine & quasi ex filo* succedat.

VII.

U In distribuendis *Reipublicæ Officiis*, ceû *Muneribus publicis*, maxima sit *Principis* Virtus nôsse suos (1) & dare *Operam*, ut non nisi *Viros Muneri pares* constituat (2) qui porrò vnicam *Reipublicæ Salutem*, supremam sibi *Legem* ducant (3) in quam *Curam* tantò magis incumbere decet *primarium atque supremum Statûs Ministrum* (4) cujus *Humeris ipse Imperans* vniuersam *Reipublicæ Molem* imposuit. (5)

- (1) Sic *Augustus* admirabilem habuit *Civium Romanorum cognitionem*, quâ mediante minùs *Dignos à Dignioribus exactiùs* potuit discernere. -- Sed inficias non ibimus, quid inter se *homines* discrepent cognoscere arduum neque omnium esse: ut namque *Musices imperitis* majorem parit *Delectationem Cantilena pastoralis* quàm exquisitissima *Symphonia*, sic plerique cæteros ex *Staturâ & Veste* libentiùs, quàm ex verâ *Virtute* amant judicare. -- Sic *NERO Cornelii SYLLÆ* fidam sinceritatem in contrarium trahens, *Audaciam* interpretabatur, undè miser innocens *Patriâ* fuit expulsus in *Exilium*. -- "Est ubi & *Argentum*, est & ubi dignoscitur *Aurum*" ita *Eurip.* in *Medæâ*: est & ubi dignoscitur *Homo*: undè censemus *PRINCIPEM* ad dignoscendos subditos suos eandem habiturum *facilitatem*, quam habet *Aurifex* in bono à malo *Numismate* dignoscendo: uti namque hic pro eo utitur *Lapide lydio*, sic *Princeps* *Virum* sibi laudatum comprobabit, ei imponendo *Munus*, in quo si inhabilem sive improbum, sive socordem compererit, nihil facilius, quàm eundem *removere*: aut si habilem, probum, atque prudentem, nihil gloriosius, quàm *Virtutem* ejus in *Beneficium* *Subditorum* conferre. -- Cum verò quos adversâ premit For-

- Fortuna, quò majores habere videntur animi ingenique Dotes, eò majorem plerùmquē ab Invidiā patiantur persecutionem, hinc illustriora quandoque Civium Talenta nigris & Calumniā Coloribus depicta, difficillimè fiunt Imperanti perfecta, undè mirum non est, ea aut Oblivione aut aded contentu manere sepulta. -- Vide sis SCIPIONIS AMIRATE Anon. Diss. polit. Lib. 13. Disc. 9. de verà Principum arte, ut Civium Mores cognoscant. p. 205.
- (2) Nec sola enim Gratia Principis qualificat subiectum, nisi aliàs habile; undè & Civium erit, non ambire Munera, quibus se impares esse intelligunt. -- Ast cæcus Amor proprius, vanaque Ambitio, quò non Mortalia cogit Pectora, ut ea turpissimis non rarè Artibus studeant aucupari in Reipublicæ perniciem?
- (3) Juxtà primam hanc, atque ultimam Juris Publici Regulam: "Salus Civitatis suprema Lex esto."
- (4) Hic quandoque audit: *Ministrissimus*, quatenùs super reliquis Reipublicæ Administris sibi inferioribus post Principem vnus existit eminentior, undè ad strictas Rationes soli summo Imperanti reddendas Jure obligatur, nec citra ejusdem consensum quid momentosi, sivè quod publici interest, per se atque independentè agere valet.
- (5) Ad Quæstionem satis vulgarem: an Reipublicæ expediat, vniversæ Civitatis curam Vni demandare? nùm salvo Jure id fieri possit? respondemus ex universalissimis Juris Gentium Principiis affirmativè: quùm enim naturaliter prohibitum non sit, quo minùs alteri mandemus id, cui nos ipsos haud sufficere animadvertimus, cùr non æquè Princeps alteri mandare valeat Vices suas, præsertim ubi ætas ingravescens, Virium Imbecillitas, Civitatis Amplitudo, Administris probata fides atque præstantia, aliæque justæ causæ eò induxerint Principis Animum? -- imò si injustum non est, Regnum quoddam esse Tutorium, ubi Rex impubes illud capeßere necdùm valet, cùr injustum sit Vni illud tanquàm summo Status Ministro demandare? -- Vnde ipsi Persæ, ut narrat Xenophon, talem Ministrissimum adpellarunt: Vice-Regem, sicut alii: Dextram Imperantis -- Concludimus cum Doct. Bœclero, qui in Lib. sing. de Auspicio Regio. p. 169, sic habet: "est omninò iis quoque, qui non sunt Principes nec Auspicii principalis Honore gaudent, sed quos sua fors Obsequiis Principum Officiisque destinavit, quædam divinitùs adjuncta fortuna, de quâ, More Christiano, ità loqui possumus: Deum in Vsum, Decusque Regum & Regnorum certos Homines peculiaribus Ingenii Animique Dotibus eorumque, quas sub Auspicio Imperioque Dominorum instruere, obeunt actiones, prosperare, & quodammodò per illos Gloriæ Principum atque Mortalium Saluti consulere & providere."

VIII.

Quemadmodum Imperans omnium Dignitatum civilium Fons verissimè nuncupatur (1) atque inde ejusdem Officiales publici (2) in aliquâ Dignitate (3) sunt positi, quæ eò major est, quò majora ceù illustriora iisdem Munera fuerint demandata (4) sic in Civitate prima post summam Dignitas residet penes Ministrissimum (5) contra cujus Personam Majestatis repræsentativam Crimen læsæ Majestatis rectiùs admittitur. (6)

- (1) Proin ad Eundem spectat Jus Lites de Proëdriâ decidendi, & suum cuique assignandi Dignitatis gradum. -- Juribus quippe majestaticis jungitur etiam Jus tam conferendi, quàm justâ ex causâ adimendi Titulos, Præcedentiam, Insignia sive Gentilia sive Ordinis merè personalis.
- (2) Quatenùs Jura exercent Civili Imperio adnexa.
- (3) Præcellentiã vnus Hominis præ altero Dignitas dicitur, quatenùs cui major tribuitur Valor atque Existimatio, præcellere intelligitur.
- (4) Sicuti namque Roi Pretium ex Quantitate Perfectionis est dimetiendum, ità & Hominum Valor atque Existimatio ex majori vel minori pendet Perfectionum Gradu, qui eò major intelligitur, quò quis ampliori Munere ceù Animi magis Robore perfungitur. -- Quamvis autem
- Exist

Existimatio omnibus connata sit, ac naturaliter æqualis, ea tamen simplex tantum est, atque solâ Abstinentiâ à malo continetur; hic verò de Æstimatione Civili & hypothetica est Sermo, quæ tanquàm generosæ Ambitionis Fomes probatissimum est Incitamentum ad Herculeos etiã pro Patriâ Labores maço animo subeundos.

(5) Vid. Pofit. VII. n. 4. h. T.

(6) Cujus Rei novissimum præstat Exemplum Processus criminalis Lisabonæ in Portugalia instituti, atque in capitalem Exsecutionem deducti contra Delinquentem, qui Personæ summi Administræ Regii nuperrimè Machinatus est perniciem. -- Hoc verò principium ipsi innititur Juris Analogiæ, respectu Sanctitatis Legatorum & præsertim Tutorum Regum impuberum, quâ Regiminis Administratorum. -- Vid. alteram Exercit. nost. de Monarchâ. Pofit. VI. n. 3. -- Conf. Monf. de Wiquefort. l' Ambassadeur & ses fonctions, Liv. 1. p. 411.

IX.

Munera Imperii publica (1) propriè non alia, Auctoritate Cæsareâ aut reapse aut Titulotenus conferuntur ab Imperatore, quàm quæ ad Aulam Ejus ornandam, vel ad ipsum Regimen Cæsareum pertinent (2) veluti Officia & Honores Cubicularii Cæsarei, Principalis Commissarii Comitialis, & Concommissarii — item Consiliarii Imperialis Aulici — (3) Cæsarei Comitis Palatini, (4) Notarii publici (5) Doctoris, aut Licentiati, (6) item Poetæ Laureati (7) &c.

(1) A quibus differunt omnia hæc Munera publica, quæ ad Regimen specialium Germaniæ Rerumpublicarum, Aulasve Dominorum territorialium spectant, atque ab iisdem Jure territoriali constituuntur.

(2) Quemadmodum enim, quicquid ex Jure publico Univerfali Vi supremæ Inspectionis fieri potest, in cujusvis Jure territoriali continetur, ita in iis, quæ ad Univerfalem spectant Imperii Regimen, Jus quoque supremæ Inspectionis Imperatori omninò negari nequit. Vid. Pütter Jus pub. Lib. 5. c. 3.

(3) Item simpliciter Cæsarei, ac vel Intimi. -- Vide sis Capit. art. 22. §. 7. & ult.

(4) Cui confertur potestas Auctoritate Cæsareâ illegitimos legitimandi, Veniam Ætatis concedendi, Famæ restituendi, Doctores, Magistrosve, quos vocant Bullatos, atque Notarios Publicos creandi, addito nonnunquam Privilegio nobilitandi, quod audit: Comitativa major. -- Vid. Ge. SCHUBARTH de Comitibus palatinis. Jen. 1670. -- Exempla habe in der neuen Staats-Kanzlei. T. 15. p. 326. & apud Chr. Ricci, vom landständigen Adel. part. 2. c. 3. §. 4. -- Attamen non eadem ubivis efficacitate singula hæc in Territoriis admittuntur Jura Auctoritate Cæsareâ exercenda. Vid. Capit. art. 1. §. 8. & art. 22. §. 7. -- Conf. Moser Anmerk. zur Wahl-Capit. R. Karl VII. p. 2. p. 577.

(5) Cui in iis, quæ sensibus se percepisse, singulari Instrumento adhibitâ duorum Testium præsentia & subscriptione attestatur, plena Fides habetur. Vid. R. Maximil. 1. Ordnung zu Unterrichtung der offenen Notarien, aufgerichtet zu Coblen 1512. in der Samml. der N. N. part. 2. p. 151. sq. -- In specie frequenter requiritur à Notariis, ut Territoriali præterea Auctoritate confirmetur, priusquam eorum Fides admittatur.

(6) Quatenus per univèrsam adhuc Germaniam qualescunque Gradus Academici non aliâ quam Auctoritate Cæsareâ conferuntur. -- Vnde Reservatis Cæsareis accensetur Jus instituendi Academiis solenniores, ceu Univerfitates, quæ dicuntur: Collegia Docentium atque Discipulorum Artes liberales, Privilegio summi Imperantis instructas, Titulos Gradusque litterarios Merentibus, Honore & Jure univèrsim valituro decernendi. -- Vnde Differentia inter Univerfitates & Academiis minùs solennes vnicè consistit in eo: quod hæc non conferant Titulos, quos illæ decernendi Jus habent -- Illæ in Imperio ad Jura Cæsareâ, hæc verò ad Jura pertineant territorialia. -- Vid. Vitriar. Lib. 4. tit. 10. -- Conf. Euchar. Gottl. Rinck, de primis Imperatoribus, perpetuis ac solis

Acade.

Academiarum in Germania Auctoribus. Alt. 1723. // Gotti. Sam. Treveri, Diss. S. R. I. Principes Electores nullâ Lege ad condendam Academiam. Götting. 1735. Idem de Officiis Academiarum ergâ Cæsarem & Imperium. Ibid. 1735. // Jo. Wilhelm. Irter. de Gradibus Academicis. Francof. 1698. // Huc facit Moser. T. 5. p. 335, sqq.

- (7) Cui tamen Officium propriè nullum est, nisi quod Heròes canat, Mæcenate creet, & fame tabescat,

X.

Quoniam *Media* ad *Æmulationem Administrorum Reipublicæ* alendam convenientia rectè pertinent ad *Jura majestatica* (1) hinc *Imperanti* competit *Jus Dignitates* conferendi (2) & *Signa* externa, quæ illis cohæreant, determinandi (3) atque *Ordines* tum *Equestres* (4) tum *Togatos* (5) certis Privilegiis ac Prærogativis insignes instituendi.

- (1) Quatenus à fine ad *Media* semper tenet argumentum. // Conf. Posit. VIII. n. r. h. t. // Eo ipso autem, quo Imperans Officium quoddam cæu Munus publicum alicui confert, ipsam etiam Dignitatem eidem adnexam insimul tribuisse censetur. // Id quod Juris obtinet inter Catholicos, quoad Præbendas & Dignitates ecclesiasticas, remittimus ad *Jus Canon.* // Vid. Tit. Jur. eccl. de Electione & Electi Potestate. // Conf. alteram *Exercit. nost.* de Monarcha, Tit. 6. Posit. V. n. 1.
- (3) Vbi tamen certa Proportio venit observanda, ne Insignia vni certæ Dignitati propria confundantur cum Insignibus alterius, & ne forsàn Signa externa Dignitatis minoris æquè sint splendida, aut aded splendidiora Signis Dignitatis cujusdam majoris, ut singula maneant propriè significativa, suumque retineant valorem, atque existimationem. // Hic autem benè distinguenda sunt externa hæc Signa Dignitatis ab iisdem, quæ sunt mera Signa nudi alicujus Officii, ac vel simplicis cujusdam Status cæu Ordinis, sive Religiosi, sive Civilis: sic e. c. *Crux* deaurata, quam Ecclesiarum Prælati, aut *Commendatores* ut plurimum gestare solent supra Pectus, rectè supponit externum propriæ Dignitatis signum; secus ubi ex consuetudine aut Abusu subjecti eorum sive Clerici, sive Religiosi talem *Crucem* utit splendidissimam portare adsueverint, quale tunc signum citra quandam Dignitatis Prærogativam non nisi specialis huius vel alterius Religiosi Ordinis aut Status nudum supponit Indicium -- vivo hujus rei exemplo inter alia nobis esse possunt sic dicti *Fratres* religiosi ad Ss. JOANNEM & CORDULAM Coloniae &c.
- (4) *Equitis* Nomen, quomodo Dignitatis factum, vide in *Commentario* de Rebus Imp. sub HENRICO V. L. 3. §. 53, & 57. // Inter illorum Insignia sunt: *Baltheus*, sive *Cingulum* & *Calcaria*. // Vid. FESCHTUS de Insignibus c. 5.
- (5) KNIPSCHILT de Nobilitate sagatâ & togatâ.

XI.

Jus conferendi *Dignitates* (1) sive *Principum* (2) sive *Comitum* (3) atque *Nobilium* (4) vulgo: *Standes- Erhöhungen*, in *Imperio* nostro ad *Jura* pertinet *Majestatica Cæsari* reservata (5) quid quod intereà, salvo *Imperatoris* Jure alios plures constituendi *Ordines* sive honorarios (6) sive militares (7) duo tantum *Equestres*: *Teutonicus* (8) scilicet & *Joanniticus* (9) in *Germaniâ* sunt clari, quorum *Juribus Imperii Leges* prospiciunt. (10.)

- (1) Et imò quidem ipsam Dignitatem Regiam, Majestatis humanæ Apicem olim Impp. more veterum Impp. Roman. [ut exteros taceam] Statibus quoque Imperii contulerunt, id quod manifesto Regum Bohemiæ Exemplo comprobatur, quæis Titulus Regius ab

HENRICO IV. à PHILIPPO, // OTTONE IV. & FRIDERICO II. tùm collatus fuit, tùm confirmatus, uti & Boleslao acri, Poloniæ Principi ab OTTONE III. // Vid. PFEFFINGER. L. 1. tit. 5. §. 8. Lit. a. & b. p. 423. sq. // Nèc hodiè Imp. hoc Jure crediderim omninò excidisse, modò ejusmodi Titulus ipsis reliquorum Statuum Juribus Præjudicio non sit, ac Gentes exterae, atque ii, quorum interest, eò possint deduci, ut novum Regem agnoscant. // Vndè Aula Francica: "Les titres ne sont rien par eux memes, ils n'ont de realité, qu'autant, qu'ils sont reconnus. L'aveu des autres Puissances est necessaire, & chaque Couronne libre de reconnoitre, ou de recuser un titre nouveau, peut aussi l'adopter avec les Modifications, & les Conditions. qui lui conviennent". in der neuen Staats-Kanzlei T. 10. p. 3. sq. // De Axiomate: Celsitudinis Regiæ, Archiducibus Austriacis collato, & nuper adhuc Codicillis FRANCISCI I. a. 1755. confirmato, vide Selecta Jur. publ. T. 34. p. 423. sq. // Conf. MOSER kleine Schriften. T. 7. p. 167. sq.

- [2] Exceptâ Dignitate Principis Electoris, quæ hodierno Jure planè non aliter, quàm totius Imperii consensu potest conferri. // Vid. Kaiserl. Commissions-Decret, die Beschleunigung des Braunschweigischen Chur-Negotii betr. sub d. Regensb. 21. Jul. 1706. ubi declarat Imp. "Das künfftig neue und mehrere Churwürden ohne des gesammten Reichs Einwilligung nicht eingeführt, und solches dem nächsten R. N. in Formâ Sanctionis pragmaticæ einverleibt werden solle" in Corp. Jur. publ. p. 1132. sq. // Principis autem & Comitum Elogium etiamnum liberè confert Imperator, quin tamen à Collatâ hujusmodi Dignitate ad votum & Sessionem in Comitibus, aliisve Statuum Collegiis & Corporibus valeat consequentia. // Vid. Capit. art. 1. §. 5. 6. & 7. // art. 3. §. 22. // art. 22. per totum. Conf. Corp. Jur. publ. p. 1268. & R. I. N. §. 197. // Hoc Principum axioma non omnibus semper à primo acquirentibus descendentibus, sed interdum Primogenito tantum, ceu Familiæ Regenti conceditur. // Quandoque tamen novis Principibus conceditur Jus Dignitatem suam cum Liberis adè adoptivis communicandi. Vid. MOSER. T. 22. p. 405. // De NEUMANN. T. 3. p. 105. sq. // Ipsa autem Dignitas personalis haud pertinet ad Territorium, nisi & huic major Titulus conferatur. // Vid. Ad. Frid. GLASEY. de Dignitate personali Territorii Germanorum communicabili. Lips. 1717. // Hujusmodi verò Principibus novis post annum scilicet 1582. creatis vel creandis ab Imp. non amplius conceditur speciale Ducis aut Marchionis sive Landgravi Prædicatum. // Vid. MOSER. Tom. 34. p. 281. sq.
- [3] Vide Capit. & R. I. N. locis jam supra citatis. // Conf. PÜTTER. Jus pub. L. 5. c. 3. §. 231. n. 2.
- [4] Nobilitatem inferiorem, Baronum scilicet: (Reichs-Freyherrn) Nobilium Dominorum (Edlen Herrn auch Reichs-Rittern) & Nobilium simpliciter talium, quorum Nomina Gentilitia adornat particula: DE. pro libero plane arbitrio confert Imperator; // Vid. Carl. Ferd. HOMMEL, de particula: Von, Nobilitatis Characterè, Lips. 1752. // Conf. ab EYBEN, Diss. de Titulo: Nobilis Vir. // Kop. de insigni Differentiâ inter S. R. I. Comites & Nobiles immediatos. // Qui Nobilitate augentur sive majore sive inferiore, majores etiam Honorum Titulos nanciscuntur. // Vid. Gerh. FELTMANN, de Titulis Honorum. Bremæ 1691. 8. // Insignia quandòque augentur, quandòque de novo conferuntur. Vid. PÜTTER Elem. Jur. germ. §. 250. p. 311. sq. // Conf. Jo. Wilhelm. WALDSCHMIDT. de Mutatione Insignium & Sigillorum S. R. I. Statuum. Marp. 1718. // Talis autem recens Nobilitas nec in Fraudem Juris territorialis, neque in Præjudicium Nobilitatis priscae & avitæ potest adlegari, vndè Jus quatuor vel plurium Imaginum utut Auctoritate cæsareâ concessum in Capitulis aliisque Collegiis equestribus veras non fictas Imagines desiderantibus haud attenditur. // Vid. Rud. Frid. TELGMANN. von der Abnenzahl. Hann. 1733. c. 2. §. 15. p. 82. sqq. // Conf. Actenmäßige Zugab zum Schema Genealogicum Pfeil-Scharffensteinense in Sachen von Scharffenstein genannt Pfeil, wider das Hochadeliche Damenstift B. M. V. in Capitulo zu Kölln. fol. // Cùm prisca Ministerialium conditio hodiè omninò sit extincta, nèc olim quidem Ministerialium loco omnes Nobiles habiti fuerint, hinc Nobiles Gradus inferioris hodiè Jure Ministerialium ceu Nobilium Servorum nullatenus sunt censendi. Vid. Polyc. LEYSER, de Nobilibus Servis. Helmst. 1727. // Jo. Ge. ESTOR. de Ministerialibus. Argent. 1727. // Conf. de MOSER. deutsches Hof-Recht. T. 2. p. 172. sq. // Qualemcunque verò Dignitatem Imperator sive motu proprio, sive rogatus contulerit, ipsa Dignitatis collatio ab eodem Decreta non in aliâ quàm Imperii

Cancellariâ debet expediri sub pœnâ Nullitatis. // Capit. art. 22. §. 7. 8. Taxæ verò intra 3. Menses solvendæ, hæud facile nec aliter quàm à MOGONTINO moderantur. // Capit. art. 22. §. 10. // Contra eos, qui Dignitatibus earumve Titulis à Prædicatis hæud legitimè acquisitis ceu spontè usurpatis utuntur, agere jubentur Fiscales Imperii, vigore Capitulationis, art. 22. §. 11. 12. // Huc referri adhuc possunt: SAM. STRYK de cera rubra, & sacro Encausto. Francof. 1680: // MOSER T. 4, p. 217, & T. 40. p. 423.

[5] Vi Legum scilicet à Observantiæ. // Vide HENR. HENNIGES de summa Imperatoris Potestate circa Profana. Norimb. 1676., 8. // JO. HEUMANN, de Reservato Imperatoris Dignitates largiendi. T. 1. Exercit. Juris Univerfi. p. 102, sq. // JO. PET. DE LUDEWIG, de Auspicio Regum. c. 2, p. 56.

[6] Sic aviti Ordinis Equitum Torquatorum Aurei velleris solennia a. 1712. in ipsa Aula cæsarea Viennæ legimus restaurata. // Splendidissimi hujus Ordinis Auctor fuit PHILIPPUS BONUS, Burgundiæ atque Brabantiae Dux, quando ad propagandam Religionem Christianam eundem sub Patrocinio B. ANDRÆ Apost. primò instituit BRUGIS 10. Jan. 1430. // Pro insigni habet catenam auream, ex qua pendet agnellus aur. in signum non tam velleris Colchici quàm GIDEONIS. // Symbolum: je Pai émpris. // Hodie sub JOSEPHO II. augustissimo Equitum torq. aur. vell. Capite summæ Nobilitatis Equites numerantur LXV. // Vid. Jul. SCHIFLETII Breviarium Hist. incliti ord. vell. aur. Antv. 1652. // Sic antiquissimum Ordinem Regio-Hungaricum S. STEPHANI ipsa IMPERATRIX vidua Glor. Imp. restituit Vindobonæ 5. Maji 1764. in quo magni CRUCIGERI, sic dicti Groß-Kreuzer, numerantur XX. // Commendatores XXII. & Equites XXXIII. // Ordinis Insigne majus est: aurea catena in medio tenens Aquilam auream volentem cum Symbolo: stringit amore. // Sic ELEONORA Imperatrix p. m. auspicante LEOPOLDO Imp. & sub Patrocinio S. S. MARIE & JOSEPHI, etiam pro sexu illustriori a. 1668. restauravit Ordinem Fœmineum sic dictum; Stellate Crucis, [Stern-Kreuz-Orden] olim: Frauen-Orden der Selavinnen der Jugend. // Quem ipse CLEMENS IX. P. speciali BULLA confirmavit. // Pro Insigni habet: auream Crucem 4. Stellulis & Aquilâ bicipite nigrâ adornatam, cum Inscriptione: Salus & Gloria.

[7] Talis est celeberrimus Ordo Theresianus, in Gloriam Militiæ à vel Heroicæ Strenuitatis Mercedem ab Imperatrice MARIA THERESIA, sub Auspiciis FRANCISCI I. Imp. d. 18. Jun. 1757, instauratus. // Dispertitur in classem priorem: der Groß-Kreuzer, & in posteriorem: Equitum -- Insigne est: Octangula Crux albo-deaurata, cum Symbolo: Fortitudini. // Ad Crucem etiam minorem impetrandam absolutè requiruntur hæc tria: 1. Heroicum insolitæ strenuitatis Facinus, 2. Testimonia desuper authentica & omni exceptione majora. 3. cognitio augustissimi Capituli decisiva. // Vid. Huberti MURÆI Origines Ordinum Equest. & Militar. // Andr. MENDO, Disq. de Ordinibus militaribus.

[8] Qui aliàs audit: Ordo Fratrum Hospitalis Teutonicorum S. Mariæ in Hierusalem. // Vndè Nomen trahit à Domo Hospitali B. V., quæ olim fuit Hierosolimis; ad Exemplum enim Militum Hospitaliorum S. JOANNIS & TEMPLARIORUM à FRIDERICO Sueviæ Duce in Castris ad Acconem institutus, & ab HENRICO VI. Imp. & CÆLESTINO III. P. fuit confirmatus. // Vid. LUNIG. spicileg. eccl. 1. theils Fortsetzung. p. 49. // PRUSSIA ab Ordine potitâ, eidem insertus est Ordo ENSIFERORUM [der Schwerdtträger] qui sedes fixerat in LIVONIA. // Vid. Henr. SCHURZFLEISCH. Hist. Ensiferorum. Viteb. 1701., 8. // Ab hoc tempore Domus generalis, quæ primùm in Vrbe Accone, postea Venetiis fuerat, in Prussiam fuit translata a. 1309. // Amisâ demùm PRUSSIA atque LIVONIA hæc Domus principalis sedem fixit MERGENTHEIMII in Franconia. // De Bonis in ITALIA quoque & præsertim in Regno NEAPOLIT. amissis vide GRAYAMINA Nationis Germ. de a. 1523. n. 38. // Ea, quæ hodiè supersunt, per BALLIVIAS dispescuntur atque Commendas, de quarum Fatis vide Acta pub. apud LONDORP. T. 12. // Staats-Kanzley, T. 2. c. 5. // Instr. Pacis Rysw. art. 11. & Badens. art. 12. // Lünig. spicil. eccles. 1. theils Fortsetzung, p. 75. // Ejsd. Staats-Consilia. T. 2. n. 334. // Generalis Magister Ordinis [Hoch- und Deutschmeister] eligitur à Capitulo, & ab Imperatore investitur. // In Comitibus
primum

primum habet post Archi-Episcopos Locum. -- Vid. PÜRTER, Jus pub. L. 2. c. 4. §. 94. -- Illustrissimus hic Ordo non nisi soli avitæ Nobilitati Germanicæ est proprius, & præterea Regulæ S. AUGUSTINI ita obnoxius, ut adeo Balliviarum Hassiæ, Saxonicæ & Thuringicæ Equites ita CONFSSIONI AUGUSTANÆ additi, ad tria Vota solemnia: Cœlibatus scilicet, Paupertatis, ac Obedientiæ, immò, ad Stata Precibus Horas obligentur. -- Vide sis RAYM. DUELLII Hist. Ord. Eq. Teut. Viennæ 1727. cf. VENATOR, vom deutschen Orden. -- Historisch-Diplomatisher Unterricht von des hohen deutschen Ritter-Ordens, ins besondere der Valley Hessen Immedietät, Exemption, und Gerechtsamen. 1751. Fol. cum appendice: Anweisung, wornach ein jeder, welcher in den hohen deutschen Ritter-Orden zu treten verlangt, sich zu achten habe. -- Kurze Deduction des Mittel. deutschen Ordens auf Liefland, Curland, und Semigallien competirender Jurium, in der neuen Staats-Kanzley T. 2. p. 80. sq. -- Adde Rel' p on f. Aulæ Ruslicæ. ibid. T. 5. p. 219. sq.

- (9) Qui aliàs audit: Ordo Equitum Hospitalis S. JOANNIS in Hierusalem. -- Hic amissà primâ Fundationis sede Hierosolymâ translatus fuit in Insulam Rhodum, quâ per SOLT-MANNUM expugnata, demùm ab Imp. CAROLO V. impetravit Insulam Melitum validissimis firmatam munimentis, vnde Nomen trahit: Ordo Equit. Melit. (Maltheser Ritter-Orden) -- Bonis Templariorum insigniter fuit auctus; quando amplissimum hoc Commilitium instigatu Philippi pulchri, Galliarum Regis, & CLEMENTE V. P. indulgente, unâ Strage crudelissimâ fuit abolitum. -- Vid. Chr. THOMASII Diff. de Templariorum Equitum Ordine sublato. -- Ordo vniversus in 8. magnos Prioratus cœu Lingua dispefcitur. -- Ex his magnus Alemanniæ Prior residet Heidersheimii in Brisovia (obriister Meister des Ritterl. St. Johannis-Orden in deutschen Landen) qui Principis Imperii Dignitate gaudens, in Comitibus Elwangensem inter & Berchtolstadensem Præposito Locum habet in Scanno eccl. -- Statuta Ordinis a. 1118, condita, à SIXTO V. P. a. 1584. fuere confirmata. -- Vid. LÜNIG. Spicil. eccl. continuat. 1. p. 337. -- Quid quod Regula cum illâ Ordinis Teut. sermè sit eadem, nisi quod in Ballivatu Brandeb. ipsum Castitatis Votum intelligatur de Fide Conjugalî. -- Vide sis l'Abbé Vertot. Histoire de Chevaliers Hospitaliers de S. Jean de Jerusalem. Parisiis 1695. -- Eiusd. Diff. de Regimine hujus Ordinis. ibid. -- Jo. Chr. BECMANNI, Beschreibung des N. Johanner-Ordens, besonders im Herrmeister-Thum in der Mark. Franc. ad Viadr. 1726. -- Cf. Reichs-Archiv. P. sp. Continuat. 1. Unter Johanner-Orden. p. 81. 84. 87. 99. 109. & 470. -- Etiam huc facit SCHWEDERI Theatr. Præsent. T. 1. p. 755.
- (10) Vide sis Capit. art. 10. §. 4. -- I. P. O. art. 11. §. 14. -- art. 12. §. 3. -- I. P. Rysw. art. 11. -- I. P. Bad. art. 12.

COROLLARIA

Ex Titulo X. de Dominio eminenti

in genere & in specie.

- I. Valè docuit *Hobbesius* de Civit. L. 6. C. 15. §. 13. *Dominium eminentis* quasi illimitatum eò se exserere in Res atque Civium Bona, ut ejus vigore *Imperanti* non modò Jus sit in *Partem Confectariorum*, sed & in ipsam adeò *Rerum Substantiam*;
- II. Ipsa verò tam *Imperii* - quàm *Dominii eminentis* Ratio sufficiens non nisi *extraordinario Reipublicæ Statui*, cœu absolutæ Necessitati ac vel manifestæ Vtilitati publicæ tanquàm fundamento innititur.
- III. *Onera publica* ita æqualiter portanda sunt à *Civibus*, ut vni præ reliquis gravato, proportionata absolutè debeat *Resartio*;

C

IV.

- IV. Casus tamen merè fortuitos inter *Cives* citrà Compensationem mutua vice tolerandos esse contendimus.
- V. *Civis habilior* etiàm invitus non nunquàm Jure compellitur ad subeundum *Munus publicum*;
- VI. In ipso tamen *Munerum* distributione vti neutiquàm *Dignior* præ *Digno*, sic nec *Dignus* præ *Indigno* Jus perfectum habet, hujusmodi *Munus* quoddam à *Principe* exigendi.
- VII. *Principis Testamentum* super Bonis domanialibus ac vel *Jure Imperii* obtentis conditum, ipso Jure est nullum;
- VIII. Vndè *Principis* defuncti *Heredes ab intestato*, nullum in iis succedendi Jus habent.
- IX. Bona verò *domanialia* injustè alienata, citrà Refusionem pretii revocanda sunt à *Principe Successore*;
- X. Quin hodiè tamen *Imperator Romano-germanicus* vel minimum exinde adipiscatur Jus, hujusmodi sive alienationes sive oppignorationes *Statibus Imperii* factas vnquàm sibi vindicandi;
- XI. Id quod nullatenùs refragatur *Capitulationi Cæsareæ* Art. VIII. §. 3.
- XII. In A. B. tit. IX. §. 3. *Telonia Electoribus* non tam primùm aut de novo concessa, quàm longissimo tempore jam possessa jure perpetuo fuere confirmata.
- XIII. Nec ipsis *Electoribus*, nec cæteris *Imperii Statibus* fas est, sive *Telonia* nova instituendi, sive *Vestigalia* antiqua contra morem augendi.
- XIV. Inter *Vestigal*, quod vulgò audit: *Wasserzoll*, atque illud, quod vocant: *Ugent*, notabilis intercedit cum *originis & naturæ*, tum *Juris* Differentia.
- XV. *Clericorum* æquè ac *Laicorum* Bona, citrà discrimen, *Vestigalibus* obnoxia sunt;
- XVI. *Bona ecclesiastica* Cultui divino immediatè sacrata rectè dicuntur esse nullius, habito respectu ad *Privatos*, secùs ad *Rempublicam*;
- XVII. Vndè *Respublica* in Statu extraordinario pro absolutà *Necessitudine* salutis publicæ etiàm de iis disponendi Jus habet.

- XVIII. Quod *Clerici* præsertim in *Imperio* ab oneribus ac vel aliis obligationibus publicis habeantur exempti, id de *Jure* non ita, quam ex *Privilegiis* specialibus intelligitur;
- XIX. Vnde *Clerici* jure dicuntur veri *Cives Imperii*, Civibus tamen privilegiatis rectius accensendi.
- XX. *Collectas Imperii* extraordinarias non tam juxta *Matriculam*, quam potius amicâ *Statuum* Conventione definiendas esse statuimus;
- XXI. Ipsam verò *Matriculam* adhuc fundamenti loco servire, haud negamus.
- XXII. In *Bello Imperii* adversus *Ottomannos*, Imperator jure exigit *Subsidium* à summo *Pontifice*,
- XXIII. Ad quod ipse *Pontifex* eò obligatur jure perfectiori, quò certius constat, *Annatas* non alium in finem esse introductas, quam ut *Treasaurus* colligeretur adversus *Infideles*.
- XXIV. Nescio quo jure *summo Pontifici* adeò cum effectu adstrui potuerit quasi *Dominium eminentis* in Bona atque *Ecclesiarum* Reditus?
- XXV. Vnde *Ecclesia germanica* sub nullo hodiè juris prætextu se *Contributionibus* quibuscunque gravari patietur à *Curia Romana*,
- XXVI. Idque non tantum vi *Concordatorum*, sed & ipso *absoluti Juris gentium* vigore.
- XXVII. *Imperanti* Jus est, *Viro* fatis probato & habili ac vel aliàs omni exceptione majori, tanquam supremo *Statûs Administro*, ipsam *Reipublicæ* Curam demandandi;
- XXVIII. Qualis tamen utut *Ministrissimus*, citrà expressum *Principis* Consensum, nec *Momentosi* quidquam, nec *quod publicè interest*, per se atque independentè ceu propriâ agere valet Auctoritate;
- XXIX. Vnde ad firietas Rationes, soli *summo Imperanti* reddendas æquè obligatur;
- XXX. Contra ipsam *Ministrissimi* personam velut ynam cæteris omnibus *Reipublicæ Administris* sibi inferioribus eminentiorem, tanquam *Characterè Principis representativo* vestitam, *Crimen læsæ Majestatis* rectius admittitur.

XXXI. *Cæsarei Comites Palatini* in exercendis *Cœmitivæ* Juribus hodiè
reciùs impediuntur in *Statuum Territoriis*;

XXXII. A *Notariis publico-cæsareis* non immeritò requiritur, ut *Territoriali* prætereà *Auctoritate* confirmentur, priusquam eorum *fides* admittatur.


XXXIII. Vti contrà quoscunque, qui se *Nobiles* mentiuntur, àc vel particulam: *de*, Nobilitatis characterem, arrogantius usurpant, agere jubentur *Fiscales Imperii*, sic & *Fisco territoriali* contra eosdem, saltem in subsidium, animadvertendi Jus est atque Obligatio.

XXXIV. *Dignitates personales* uttè *Germanorum Territoriis* communicabiles, ipsa tamen per se non adficiunt *Territoria*.

XXXV. *Imperatori* liberum non est, *Principibus novis*, post annum scilicet 1582. vel creatis vel creandis, speciale concedendi sive *Ducis* sive *Marchionis* àc vel *Landgravii* Prædicatum.

XXXVI. *Nobilitas recens* nec in fraudem *Juris territorialis*, nec in *priscae avitæque Nobilitatis* præjudicium, legitimè potest adlegari;

XXXVII. Vnde quatuor vel plurium *Imaginum quasi gentilitiarum* Jus, uttè *Auctoritate Cæsareâ* concessum, in *Capitulis*, aliisque *Collegiis Equestribus* veras non fictas *Imagines* desiderantibus, jure non attenditur.



XXXI. *Cæsarei* C
rectius impedi

XXXII. A *Notari*
toriali prætere
mittatur.

XXXIII. Vti con
culam: *de*, *Nob*
Fiscales Imperia
fidium, animac

XXXIV. *Dignita*
cabiles, ipsa tar

XXXV. *Imperato*
licet 1582. vel
Marchionis àc

XXXVI. *Nobilita*
priscae avitaque

XXXVII. Vnde qu
Auctoritate Ca
stribus veras n

inno aliis lov
no: rior: rior:

no: rior: rior:
no: rior: rior:

supra rior: rior:
no: rior: rior:

no: rior: rior:
no: rior: rior:

no: rior: rior:
no: rior: rior:

no: rior: rior:
no: rior: rior:

no: rior: rior:
no: rior: rior:

nitica Juribus hodiè

requiritur, ut *Terri*
nam eorum *fides* ad


tiuntur, àc vel parti
pant, agere jubentur
sdem, saltem in sub

erritoris communica

ois, post annum sci
lendi sive *Ducis* sive

erritorialis, nec in
potest adlegari;

entilitiarum Jus, utur
isque *Collegiis Eque*
re non attenditur.



© The Tiffen Company, 2007